

**Publication/Creation**

June 1949

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/bmgarw5u>

**License and attribution**

Wellcome Library; GB.

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Accessiones  
duplices  
Necessariae  
Contingentes

Neque uero uerisimile est nunc eum fortuito sic scribere, qui neque unum aliquod temere scribat. Quæ est igitur causa? Singulorum morborum accessiones partim necessario, partim contingenter & ut plurimum existunt. Earum quæ necessario existunt plures sunt differentia, Quædam sæpe uidentur, & ob id naturæ morbi propriæ esse creduntur. Quædam ualde raro, & propter aliquod præcipuum quod priuatim coincidit. Hippocrates igitur quum consuetæ species accessionum extiterint, tunc sanè solo uniuersali morbi nomine contentus est: quum uero aliquid ex raris incidit, post uniuersalem & communem totius morbi appellationem, statim illud ipsum discriminat. Quod si plures aliquando conspiciat affectionum species, quæ singulæ supra cõmunem & cõsuetam naturam propria discriminatione opus habent, tunc uniuersale quidem transgreditur: enumerat autem statim singula partialia, tanquam sanè ex his etiam illud manifestum fiat. Pleuriticis itaque necessario accedit & lateris dolor, atque hic cū febre, & respirandi difficultas, & tussis. Neque enim possibile est pleuriticū esse, cui non omnia hæc adsint. Verū efferri quicquid ex inflammationis partibus unā cum tussi, non quidem necessarium est, ut plurimum tamen contingit. Sic uero etiam eorum quæ efferunt species subrubra, aut subflaua, aut spumosa existit. Quemadmodum autem in iam dictis, aliud consuetum, aliud peregrinum est, Sic etiā in ipsis quæ necessario coincidunt, aliquæ species sæpe, aliquæ raro uidentur. Hippocrates itaque in proposito nūc ægroto Anaxione, postquam particulares affectiones discriminatione indigebāt, ut quæ rarioris speciei essent, quibus ipsis distinctis pleuriticis accessionum concursus manifeste cognobilis redderetur, superuacaneum existimauit scribere, quod omnino citra conscriptionem erat intelligibile. Febris enim inquit, acuta apprehendit, & dextri lateris dolor continens, & tussiuit aridas, tussiculas uidelicet. Non solum igitur quod febris fuit, sed etiam qualis nam didicisti, acuta enim inquit, & non solum quod lateris dolor, sed etiam qualis, nempe continens, & non solum quod tusses, sed etiam quæ, & quales, nimirum aridæ, neque quicquam expuentes. In eodem autem hoc sermone didicisti quod pleuriticus fuerit hic homo. In nullo em̄ ex omnibus morbis prædictarum affectionum concursus adest, præterquæ in pleuritide. Per unum itaque sermonem, & quod cum pleuritide conflictatus sit homo, & qualis hæc ipsa fuerit, ostensum est. Quando uero respirandi difficultas necessario pleuritidem sequitur, de hac scribere reliquit, neque quod ægrè spirauit hic homo dixit, si quidem enim & de hac quicquid peregrinum ac rarum quod diceret habuisset, non utique tacuisset. Quum uero, uelut uerisimile est, consuetam speciem seruaret, rationabiliter eam reliquit. Quemadmodum autem hæc reliquit, sic alia adscripsit, quæ neque necessario pleuriticis adsunt, neque ut plurimum neque ex dictis intelligi possunt. Inquit em̄, siticulosus, uigilans, urine autem coloratæ, multæ, tenues, deinde inferens. Sexta delirus, Ad calfactoria uero nihil

*p. de hro. p. p.*

Ratio longior  
vis narratio  
nis Hippo  
cratis

Dyspnœa ut  
nota, in pleuri  
ticis Hippo  
crati non est  
dicta